



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Io. Baptistæ Portæ Neapolitani Magiæ Naturalis Libri  
Viginti**

**Della Porta, Giambattista**

**Frankfurt, 1607**

De specillis, quibus supra omnes cogitatum quis conspicere longissime  
queat. Cap. XI.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70772](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70772)

ea contemplatur, paruo labore, & scientia, omnia ad amissim proportionata depingit. Sed ne aliquid de specillis omitteremus, trademus

*Quomodo res multiplicata videri possit.*

Inter ludos, qui circumferuntur, non parū iucunditatis est specillum, instrumentum vitreum illud, quod oculis apponimus, ut commodius aliquid intueamur: neque enim ex his, quæ oculos fallunt, potiori reperire poteris viam, quam è medio, eo enim permutato, permutantur omnia, illud ergo è solidiore vitro, maioreque crassitie pareretur, ut aptius in facies rota verti possit: in plures ergo facies, & angulos accommodetur, quibus aliquid numerare volumus, in eorum tamè medio anguli metam habeant, & oculorum congruat aciei, ut diuersis è faciebus refringantur imagines ad oculos, ut ne verum perspicere possint. E pluribus ergo superficiebus iam paratis, oculis apponantur, & si alicuius faciem vicinius intuebimur: Argum, vel oculatum totum videbimus, si nasum, non nisi nasum, sic manus, digitos & brachia, ut non hominem, sed Poëtis fictum Briareum, si nummum videre contigerit, multos non vnum conspicias, ut nec manibus tangi valeat, sed tangentem sæpe ludat, meliusque fuerit cum eo dare, quam recipere. Si triremim longius intuearis, armata videbitur classis: si ambulantem militem, exercitus agmine facto, incedens. Fitque ut res geminari videatur, & duplices cernas hominum facies, binaque corpora. Et hinc fiunt diuersi conspiciendi modi, ut res vna alia videatur, quæ querentibus, & explorantibus patefiunt.

*De specillis, quibus supra omnes cogitarum quis conspiciere longissime queat. CAP. XI.*

**N**ON omitteremus rem admirabilem, & longe utilissimam. Quomodo lusciosi, ultra quam credi possit, longissime conspiciere queant. Diximus de Ptolemæi speculo, siue specillo potius, quo per sexcenta millia peruenientes naues conspiciebat, & quomodo id fieri poterit, docere tentabimus, ut per aliquot millia passuum cognoscere amicos possimus, & visu debiles

legere minimos characteres è remoto. Res humano  
 vsui necessaria, & optices ratione constans. Idq; velle-  
 ui artificio fiet, sed res non adeo vulgaribus promul-  
 ganda, sed perspectiuis clara. Visus constituatur centro  
 valentissimus speculi, vbi fiet, & valentissime vniuersa-  
 les solares radij disperguntur, & coeunt minime, sed  
 centro prædicti speculi in illius medio, vbi diametri  
 transuersales, omnium ibi concursus. Constituitur hoc  
 modo speculum concauum columnare æquidistanti-  
 bus lateribus, sed lateri vno obliquo sectionibus illis  
 accommodetur, trianguli vero obtusi anguli, vel ortho-  
 gonij secentur, hinc inde duobus transuersalibus lineis  
 ex centro eductis. Et confectum erit specillum, ad id  
 quod diximus vtile.

*Quomodo in cubiculo ea videamus, qua non sunt.*

C A P. XII.

**H**Oc equidem artificium minime spernendum du-  
 ximus: nam poterimus in cubiculo aliquo, si quis  
 inspiciat, ea videre, quæ in eo nunquam fuerint, neque  
 erit tam excellentis vir ingenij, aut solertix, qui se fal-  
 sum sentiat. Vt igitur rem describamus. Sit cubiculum,  
 in quo aliud lumen nõ ingrediatur, nisi ex ostio, vel fe-  
 nestra, ex qua inspector inspicit, sit fenestra tota, vel  
 eius pars vitrea vti expellendo frigori vti solemus, sed  
 pars vna expolita sit, vt speculum ex vtraque parte sit,  
 vnde inspector introspiciat, nam reliqua nil operantur.  
 In regione huius fenestrix sint picturæ, statux, marmo-  
 reæ, & eiusmodi similia, nam quæ foris fuerint, intro  
 videntur. Vnde quæ tergo videntis fuerint, in domicilij  
 medio se videre putabit, tantum à vitro intus receder-  
 do, quantum post tergum retro recedunt, tam clare, &  
 vere, vt nõ nisi verissima videre putet. Sed ne artificium  
 cognoscatur, pars vbi ornamentum eo modo conficta  
 sit, vt inspiciens non videat, veluti supra ipsius caput, vt  
 supra caput pavimentum intercedat. Quod si ita hæc  
 industrius operatus fuerit, impossibile est, vt se dece-  
 ptum sentiat.